

Picô Mirandulanô in Apologiâ, & Judæorum Rabbini, ut & Patrum quidam, nec non Pontificii magnô numerô. Negativam contrâ tenent, quotquot à fede Romanâ defecere Theologi, statuentes ac unô apertôque ore profitentes, cujullibet in Scripturâ orationis unicum tantùm esse verum, genuinum, & ab authore intentum sensum literalem, ut vocant. Nos autem ut hâc super re etiam nostrum promamus judicium, fatemur quidem ingenuè, admodum vero consentaneum usitatumque passim Scriptoribus esse, unum duntaxat unicâ oratione significare atque intendere: Attamen, cur non aliquando plura iisdem denotare queant verbis, non videmus. Nec etiam dissimulare possumus, argumenta contrariæ sententiæ firmandæ ab ejus patronis allata, quæ quidem nobis videre contigit, nihil prorsus evincere, atque adeò esse levia & ficulnea, ut iis recensendis ac refellendis non operæ pretium ducamus tempus impendere. Quid autem nos de S. Scripturæ multiplici sensu sentiamus, num scilicet uni ejus loco plures competant literales, in hujus Exercitationis progressu commodior dicendi dabitur locus.

C A P. IV.

1. *Scripturam esse obscuram & ambiguam.*
2. *Quis sit verus Interpretres?*
3. *Et quidem S. Literarum?*
4. *Et quî suò munere debitè fungatur?*
5. *Omnes veritati adversantes Scripturæ expositiones esse spurias.*
6. *Scripturæ veritates non videri esse veros sensus.*
7. *Quis sit optimus ejus interpretres, si non sit infallibilis.*
8. *Omnes Scripturæ veritates esse veros sensus, probatur rationibus.*
9. *Confirmatur autoritatibus.*
10. *Conditiones à Reformatis in verô S. Literarum interprete requisitas in nostrum etiam quadrare.*

I. **S**Ed jam satis multa, & quidem satis prolixè de Interpretis objectô generali, oratione nempe obscurâ atque ambiguâ, superiori capite verba fecisse nobis videmur: Descendamus nunc ad objectum specialius, ad quod in eâ, quam præ manibus habemus, controversiâ, restrictus est noster interpretres, Sacram scilicet Scripturam. Hanc autem pluribus in locis & obscuram & ambiguam esse, præterquam quòd neminem, quàm parùm etiam in eâ versatum, fugiat, & ex exemplis, quæ inde allata aliis intersparimus, abundè pateat, ostendunt etiam ac testantur tot doctissimorum acutissimorumque, à jactis usque Ecclesiæ Christianæ fundamen-